

inlectus, cunctas paterne traditionis elemosinas sibi sua vendicavit potentia. Comperiens autem huius servi Dei famam per totius orbis ambitum pene diffusam, ad eum misit, ad seque venire rogavit. Qui protinus, ut erat petitus, ascensis equis, ad memoratum seculi principem pervenit, in quo ille admirans doctrinalis eloquentię facundiam monasticęque ordinis reverentiam, prefatam possessionem reddit, proprium filium, nomine Benedictum, nondum caticuminum tradit. Gemina candelabra argenteę massę ingentia monachorum summo direxit habenda.

10. Item Rotbertus, Abricatinensium comes, de sui iure patrimonii aeccliam sancti Hylarii, alteram quoque in honore sancti Iacobi¹⁾, cum omnibus earum²⁾ appendiciis, monasterio permiserat³⁾ Floriacensi. Profecto eo defuncto, eius filius Richardus, quondam ab eo sancto confessori voto oblatus, sed postmodum, orbo liberis, multis muneribus redemptus, paterne hereditatis honore potitur; qui non sufficiens sui, dum prelibatas res suo conatur aggregare comitatu, quippe immemor habitus monastici, a proprio avunculo, Richardo quoque nuncupato⁴⁾, paterno deturbatus solo, transmarinarum expetiit⁵⁾ transfuga deserta regionum; nam, ut ab aliquantis testatur, aliquando eius necis interfuerat coniurationi. Ad quem sane venerabilem Richardum abbas Gauzlinus decrevit eundum; qui, ut ad eum pervenit, impetrat, quicquid animum eius movebat; moxque, prefati Rotberti donatione recepta, regreditur ad propria.

11. Igitur anno dominice incarnationis millesimo quinto, aecclie possessiones et quam plurime bonorum virorum donationes, cuncta etiam supra taxata, huius precellentissima hominis Dei Gaullini⁶⁾ sollertia, ad pristina rediere monachorum iura. Quocirca cui equiperanda tanti fulgoris lucerna, cuius bona in Christo, ut Salomon ait, semper fuere⁷⁾ stabilita, cuius et elemosinas merito omnis personat aecclia? Et quia fideliter suo factori toto cordis affectu servivit, gradum bonum sibi adquisivit. Quin immo archipresulatu Bituricensis urbis a clarissimo Francorum rege Rotberto postea sublimatus enituit. Cuius principis vita ab memorato Helgaudo, huius sanctę ecclesie monacho, suavi edita stilo, penes nos habetur⁸⁾.

12. Interim humani generis inimicus, eius prosperis condolens successibus, Fulchone[m], presule[m] Aurelianensis episcopi, sue nequitie veneno inficit; astuque sue fraudis suggerit,

1) Marginal saec. XIV: Saint Hylair et saint Iaques de Beuron. — Delisle: dép. la Manche. Cfr. Urkunde Wilhelm's des Eroberers. Martène Thes. I, 196. 2) Hs.: eorum. 3) So die Hs. 4) Richard II, Herzog von der Normandie. 5) So verbessert der Corrector: expetit. 6) Dies 'Gaullini' ist vom Corrector zugefügt. 7) So aus fruerem vom Corrector verbessert. 8) Bouquet X, 98 (Delisle).